

I. N. I.

C R U X

Domini nostri JESU CHRISTI

Actu Oratorio presentanda

In Gymnasio Thoruniensi

Fer. VI. Hebdomadis M. An. MDCCIX.

pia devotione indicitur

a

Rectore, Proff. & Visitat.

1709.







## L. B. S. & O.



Otam cruentissimæ Passionis & mortis acerbissimæ seriem, quam Servator noster ex infinito & præfinito in nos amore ultro animoseque sustinuit, qua prosa, qua versa consideravimus hætenus : Sæpe etiam eandem sigillatim non minus multimodis Dramatibus, quam Progymnasmatibus Oratoriis enucleavimus, studiosamque Juventutem fidei nostræ commissam in illa meditanda solita dexteritate exercuimus ; Prostant huius rei Programmata luci meridianæ exposita, ita, ut nonnulli nuperrime nullam habuerint occasionem, nisi ex odio in litteras, in vulgus protrudendi verba : in Gymnade nostra defuisse disputandi ardorem : exulasse Actus Oratorios. Utinam modo hi publicis nostris laboribus interessent frequentius ! magis magisque & docentium & discientium acueretur industria, juxta illud Poetæ :

*Excitat auditor studium, laudataque virtus,  
Crescit in immensum, & gloria calcar habet.*

Sed cruciarios hos Scholæ nostræ severioribus Aristarchis censendos relinquimus, & absque prævia deprecatione insigne hoc *παράπλημα* sponte condonamus, neque iis amplius ullam crucem figimus, tanto sollicitiores de nostri instituti ratione, quanto clarior illustriorque, a Cruce Christi accedit ipsi commendatio ; Hæc enim sublimis est Philosophia nostra, scire Jesum & hunc crucifixum, ut *Bernhardi Serm. XLV. in Cant.* verba faciamus nostra, præeunte identidem ipsi Genitium Doctore *1. Cor. 11. 2.* In hoc superavimus hucusque malignas mundi adversitates, in primis tot pericula grassantis eis paucos menses inter nos pestiferæ luis, & superabimus reliquas, quæ nos adhuc circumstant cruces. Dum vero Crucis mentionem in Rubrica injicimus, in illud lignum præsertim digitum intendimus in formam Crucis erectum, in quo DEUS-Homo Cruciatu exquisitissimos pro omnium hominum expiatione voluit sufferre, ne æternum in inferno cruciarentur. *A ligno, scribit Jren, adv. hæres. Lib. V, 17. Principium transgressionis, a ligno etiam parva salus, Christus ideo extensis manibus pependit, ut populos congregaret.* Hæc Crux per manus transversam positas in *V. T.* significabatur, ut probe observat *Tertull. de Baptismo c, 3.* Imo in ipso homine conspicitur, si expansis



si expansis brachiis Corpus in altum erigatur. Vid. Idem L. I. ad Nation. 12. L. de Idololatria c. 12. Crucem vero hanc ab Helena Constantini matre inventam non memorat Eusebius, antiquissimus rerum Ecclesiasticarum, quæ Eruditorum manibus teruntur, Scriptor, etiam si memoriæ prodatur, duas Basilicas extruxisse Helenam Bethlehemi, & in Spelunca Ascensionis. vid. Lib. III. de Vita Constantini M. c. 42. f. 504. seqq. ex Edit. H. Valesii. Laudat etiam laudatissimus Autor Orat. de Laudibus Constantini c. 9. Oratoria a Cæsare gl. m. in honorem Crucis, a se in Cœlis visæ, tam aliis in locis, quam Hierosolymis erecta; ast de cruce non meminit ab Helena inventa f. 728. 630. Verum demus & hoc inviti, Helenam invenisse Crucem Christi, mirari tamen satis non possumus, tot fructa & particulas illius variis in locis cerni, ut iisdem vel plaustrum onerari queat, cum ea tantum fuerit tantæ quantitatis, ut ab uno portari potuerit. *Σαυροδουλία* autem vetus Ecclesia exotam omnino habuit; Cum enim insanus Gentilium furor novellis objiceret Christianis, acsi cruce adorarent, retundit hanc Calumniam Tertull. Apol. c. 16. & L. ad Nation. c. 7. 12. Minucius Felix in Octavio p. 33. ex Recensione Jacobi Ouzelii respondet Ethnicis: *Crucis nec colimus, nec optamus.* (Oramus legit Joh. Woverius Comment. in h. l.) Vos plane, qui ligneos DEOS consecratis, *Crucis ligneas, ut DEORUM vestrorum partes forsitan adoratis* Conf. Ambros. Orat. funebri de obitu Theodosii ad Honorium Imperii successorem f. 123. Tom. V. Opp. & Chrysost. Homil. LV. in cap. XVI. Matthai. Hinc cum Jonas Episcop. Aurelianensis lignum Crucis live picturam adorandam contenderet, eo, quod in tali forma ligni olim Christus passus esset, Claudius Presbyter Ludovici Galliarum Regis illi opposuit, eadem ratione adorandas etiam Virgines, quia Virgo peperit Christum, adoranda præsepia, pannos, quia pannis involutus, in præsepio reclinatus fuit: adorandas spinas, arundines, lanceam, Judæos &c. quia hæc instrumenta fuerunt Passionis Christi. Conf. B. Chemnitius Exam C. T. P. IV. f. 41. seqq. Qvin Nicet. Chon. Lib. II. Annal. in vita Isaaci Angeli testis est, tempore adhuc Frederici Barbarossæ, circa Annum Domini M. C. LX. Alemannis sacrarum imaginum adorationem interdictam fuisse. Mittimus hic spurcissimos Turcas, qui in expugnatione Constantinopolis simulacrum Crucifixi tympanis præcuntibus, per fora, per plateas, per vicos, ex urbe ad castra rapuerunt, spuro, luto, jaculis inceserunt, & pileo imaginem capitis dehonestarunt, en! Christianorum crucifixum Deum summis convitiis & blasphemis per irrisionem inclamitantes: *Cruci etiam Eulogium inscripserunt; HIC EST CHRISTIANORUM DEUS.* ut refert Joh. Cuspin. Op. de Cæsariis Rom. f. 522. 523. Mittimus Th. Bezam, qui in Colloq. Mompelz. publice ausus est effutire, *se ex animo detestari imaginem Crucifixi.* Nos licet alias cum Veneranda antiquitate Vocabulo Crucis non lignum l. picturam, sed rotum Redemptionis mysterium a Christo in Cruce peractæ, deinde afflictiones piorum intelligamus, non detestamur tamen Crucem, sed simulacram intuemur, anxie recordamur, quam maledicta res sit peccatum cuius causa maledicto Crucis ligno æternum benedictus Messias fuit suffixus, ut nos affereret liberos a maledictione legis & inferni. Intuemur porro Crucem Christi ut tropæum, quo non solum hostes suos infensissimos sed etiam nostros superavit potentissime & in illis gloriosissime triumphavit, ut *ἐπιίκιον* ex 1. Cor. 15. v. 54. 55. 57. & Apocal. XII. 10. nostrum ovantes facere queamus. In Labaro Constantini M. signum Crucis artificiosissime depictum & auro lapillisque pretiosissimis expressum visebatur cum inscriptione: *ἐν τῷ αἵματι* Vid. Euseb. L. I. de Vita Constant. c. 28. 31. Orat. de Laud. Eius c. 9. Sozom. H. E. lib. 1. c. 3. & Socrates L. I. H. E. 2. Statua quoque Romæ fuit Constantino erecta, dextra manu Crucis signum gestans cum alia Latini Sermonis epigraphe, quam vide apud sæpius Cit. Euseb. Lib. IX. H. E. 9. de Vita Constant. Lib. 1. 40. & L. III. 3. In hoc signo vicimus hostes nostros Spirituales: vicimus Cruces pestiferas, quibus infestabatur Civitas nostra, firmaque spe sumus, fore, ut quam metuimus adhuc luem, DEUS propter nomen Filii sui Crucifixi prorsus a Regno Poloniæ, Patriæ finibus & mœnibus nostris clementissime sit propulsaturus: Vincemus etiam & reliquas belli cruce, si nos ipsos vincemus prius, & voluntati divinæ nos totos subjugabimus. Intuemur tandem Crucem Christi tanquam signum solatii plenum. Pendet Christus in ara expansis manibus, ut amplexetur cordique imprimat totum genus humanum, & ad se in cœlum trahat. Quo spectant verba dulcissimi nostri Hodegi Joh. XII. 32. *Καὶ γὰρ ἰὰν ὀψωθῶ ἐν τῆς γῆς πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτὸν.* Hæc & alia Oratores nostri meditationibus suis sacris studiose explicabunt, neque tamen omnia, quæ de Cruce Christi in medium proferri modo poterant, hoc ordine καὶ δὲ μὲν proferent.

Georgius



*Georgius Henricus Czimmermann. Thorun.* de materia  
Crucis Christi verba faciet.

*Andreas Johannides Schleka - Curl.* formam illius confi-  
derabit.

*Simon Gleinig. Thorun.* Crucis altitudinem expendet.

*Gottofredus Weissius Thorun.* Argumenta exponet,  
quare Christus potius sit cruci affixus, quam alio  
supplicii genere affectus.

*Paulus Georgius Austen. Thorun.* Crucem Christi, tan-  
quam lectum moribundi contemplabitur.

*Job. Fridericus Serner. Thorun.* Ostendet, morem si-  
gno crucis se signandi non esse illicitum.

Ad horum orationum audiendas benevolisque censuris commendandas ea qua par est animi  
propensione invitamus Magnif. & Consultiff. Dn. Dn. Burggrabium Regium, Præsidentem, Pro-  
consules, Consules & Scholarchas; Exper. Physicos & Medicos, Pl. Rever. Ministerium, Spe-  
ctab. U. C. Iudiciorum confessum, aliosque Crucis Christi æstimatores eximios, ut Actum hunc  
Oratorium publice habendum frequenti præsentia sua condecorare haud dedignentur, & Re-  
citantium egregios Conatus excitata attentione sua animare velint. Nos contra in id unice  
in posterum incumbemus, ut reciprocis officiis nostris pietatis ac humanitatis benevolentiam  
omnium & singulorum Patronorum, Fautorum & Amicorum demereamur. PP. Dominica Pal-  
marum An. MDCCIX. i. e. d. 24. Martii.



Georgius

113589